

vitaret, & veterum ritu sapientum, tanquam aliud agens, inter epulas quæstionem proponeret; qua ille auditâ, opportunè ad rem & scitè dicebat, Authores allegans graviores, & varias, si quæ erant, in puncto sententias, à propriâ ferendâ solenni de more suo abstinens (erat enim timidioris conscientiæ) qua Vicarius industria multos facillè nodos exsolvit, & lucem pro obscurioribus nactus fuit. Noster pro ea qua erat etiam in tabularijs peritiâ & egregijs dotibus, à Capitulo Canonicorum Mexicanensium destinatus à Secretis, huic exactissimè muneri satisfecit, cui, post traductam Ecclesiastico viro congruentem vitam immortalis fuit. Inter familiares Illm. D. D. Alphonfi de Cuevas Davalos Antistitis Mexicani admodum venerabilis, olim coopratu & à Secretis, vita functi colendissimi Domini sui, exinijs ornati virtutibus, Acta conscribere aggressus est, uti ex varijs ad eum datis Epistolis, quas præ manibus habemus, in conscribendam vitam collimantibus, palam fit: eam porro ad exitum deduxisse dubium nobis esse non potest, optantibus licet Codicem invenire, nec tamen, etiam conquisitione multa, invenientibus, quod à fide dignis testibus de visu audierimus, legisse edita aliquot ejus Operis folia hispanis typis, frustratâ deinceps editione, quam procuraverat vir Clarissimus

D. Joannes de Olivan & Rebelledo, aris defectu, proptereaque Authographo Mexicum remigrante. Sanè id ab Hispanis vilius hominibus compertissimum est à Nuncupatoria præfixa Libro *Scala mirabilis* nuncupato, seu de vita S. Petri de Arbues, à Doctore D. Salvatore Sylvestre de Velasco & Herrera conscripta, in ejus Nuncupatoria ad Majas Collegium Mexicæ Divæ Mariæ & omnium Sanctorum fol. 3 col. 1. ad marginem in fine hæc leges. *De D. Avalos* (cujus scilicet elogium unâ cum aliorum laudibus Collegarum in ea Epistola parte contextitur) *Siguenza in Triumpho Parthenico, & Rosal in Vina*. Quæ porro nos etiamnum latens, indicanda est tamen.

*Vita Illm. D. D. Alphonfi de Cuevas Davalos Archiepiscopi Mexicani &c.* Meminit ejus multa cum laude D. Antonius Robles in Diario, quod extat in Oratoria Mexicæ fol. 351 ad annum 1700. die 20 Aprilis emortuali Bartholomæi.

577 D. BARTHOLOMÆUS SANCHEZ PAREJA, Natione Peruanus, Limæ Regia Urbe ortus, Mexicumque deductus, Angelopoli Domicilium & sedem sibi constituit. Medicinæ operam strenuè navavit, gradumque Doctoris, non sine egregio plausu, tulit, quam dein spartam multis annis ornavit. Quantus in ea scientiâ fuerit, inde conjectu est facile, quod integro ab hinc re-

seculo & amplius, Systema excogitaverit, quod hac tempestate celeberrimè, hinc inde, à Recentioribus agitur, de quo præ manibus habemus Opusculum ab insigni Hispano inter Medicos D. Emmanuele Gutierrez de los Rios Præbytero, apud Gaditanos agente, Hispanensis Academiæ Doctore, concinnatum, typisque Hispanensibus cum Josephi Navarro 1736 in quarto, itemque extat Friderici Hoffmani tom. 5. Oper. medic. in Opusculo de Aqua minerali Articulus 8 de Aqua medicina universalis pag. 201. Noster anno 1647 Aquam Alexipharmacum esse publicis thesibus defendendum proposuit, & verò etiam ad Hippocratis Aphorismata convenientissimè, atque ad Philosophiæ & Medicinæ dogmata plura satis appositè verbo juxta & scripto firmavit. Theatrum concertationi dedere gravissimæ Angelopolitani S. Augustini Cœnobij sacra Aedes, apud quas & è Capitulo Clero que seculari Doctores sapientissimi, & delibatissimus Nobilium & Equitum flos convenerunt, unâ que ex omnibus Regularibus Ordinibus Angelopoli florentibus Magistri doctissimi, in primis autem Societatis JESU, quorum tunc erant ibi Collegia tria, atque eo præ alijs nomine frequentiori adfuerit coronâ, quod thesium institutus fuerit Meccenas R. P. Vincentius Carrasa Societatis JESU Generalis Præpositus.

Octava itaque die Januarij, Nostro agente Præsidentem, Bartholomæus Muñoz Parejo de Aralaz propositas 18 numero, proœmij loco theses substituit, principium sternens, quæ in tres ipsa dissecta fuerat, quam item est ruitus, argumentaribus septem ex Ecclesiasticis Familijs viris eruditissimis; rursusque instauratâ, die sequenti, palæstrâ Medicinæ professores conclusiones oppugnandas acriter suscipere, propugnatoribus, non sine multo adstantium plausu, satisfaciuntibus. De his porro thesibus doctum Noster Opusculum texuit, quo muniret ipsas atque firmaret, cuique Prølusiones solutâ & ligatâ oratione habitas in utroque certamine cum Nuncupatoria adjecit & tabellarij fide. Edidit Opusculum hoc titulo

*Theatrum Apollineum: Triumphales latice Medicinæ: Hippocratica litteraria Næmæchia, Philosophica, Methodica, Empirica Contraversa, Generali studio, stadio publico defensata, gemina luce, octava & nona mensis Januarij anno Domini 1647. Ad gravissimum R. P. Vincentium Carrasa Præpositum Generalem Societatis Jesu.* Angelopoli, ex Typographia Baccalauri.... in 4. Quod legimus ejus nobis copiam faciente D. D. Joanne Emmanuele de Bacza, Vespertino Medicinæ Professore Perpetuo Mexicano, itemque Proto-Medico. Nec verò intra Apollinæ septa facultatis continuit se, imò alio

atinentibus scriptis inclaruit, nempe

*Vita V. Servi Dei F. Sebastiani de Apparicio Franciscani*, ut ejusdem Familiae alumnus P. Leiba in altera à se condita ejusdem Apparicij Vita testis est.

Scriptit præterea

*De Nobilitate & origine Civitatis Angelopolitanae*, de quo Opusculo fidem fecit D. Antonius de Leon Pinelo in Epitome Bibliothecae Occidentalis col. 700. editionis Madritanae 1738. Auctoris meminit D. Didacus Bermudez de Castro in de Scripturis Angelopolitanis Mss ad nos transmissio n. 136.

578 F. BARTHOLOMÆUS A S. TERESIA, Natione Hispanus, in Oppido Montealegre natus, Mexicanis se Domicilio junxit Carmelitis Excalceatis Provinciae Indiarum, hoc est, S. Alberti Mexicæ alumnus: Philosophiam suis tradidit, multisque præfectus Cœnobijs, tandem pro Novitiorum institutione Magister datus, extremum diem egit Vallisoleri circa annum 1702 uti Fr. Martialis à S. Joanne Baptista ejusdem Ordinis in Bibliotheca Familiae suæ scribit pag. 45. Inibi testatur Nostri

*Conciones ad Populum* extare in Abulensi Monasterio plures; & in Pinciano ejus *Collationes*.

579 D. BASILIUS MONEVA DE LA CUEVA, Natione ignota nobis, Domicilio, quod Goatemala duxerat Mexicanus, inde

ad Catholicum Regem 10 Maji 1644 scripsit hispano sermone

*De erratis quæ apud Indiarum plagas non raro admittuntur*. Extare Authographum Mantuæ Carpentanorum apud Bibliot. Barciæ testis est in Occident. Epit. col. 780. editionis noviss. Pinelus.

580 M. BEATRIX A VIRGINIBUS, Natione Mexicanensis, forsânque Patria, Institutum S. Dominici in Cœnobio Monialium à S. Catharina Senensi Mexicæ professa, rebus Monasterij sui olim conscribendis prospiciens, ejusdem Fundationem, & aliquot illustrium, è multis, virtute formatarum, quæ in co vota Deo nuncuparunt, in Adversaria opportunè redegit, quibus materno sermone exaratis titulum voluit:

*Monumenta Conventus S. Catharinae Senensis Ord. Præd.* asservanturque in earundem tabulario Sanctimonialium.

581 D. BENEDICTUS BAÑES, Natione Mexicanus, an etiam Patria definire non possumus, Universitatis nostræ alumnus strenuus, Rhetoricâ in ejusdem Gymnasij quadriennio professus est contentione inter candidatos optimos scholasticâ precedente anno 1607, proque munere explendo auditoribus suis tradidit

*Institutiones Rhetoricas*.

Meminit ejus Plaza in Chronice Universitatis Mexicæ lib. 3. cap. 9. n. 34.

582 ILLMUS. D. D. BENEDICTUS CRESPO, Natione Hispanus Bcuriensis, præclara admodum gente & multis insignibus divite fatus, litterarium Itadium apud Salmanticenses egit Regij & Militaris Collegij Equestris Ordinis Divi Jacobi Ensisferi, cujus rubeâ decoratus fuit Cruce, alumnus, aliquandoque Rector. Doctoratus infulam in Regia illa totoque Orbe celeberrima Universitate merito tulit, & Philosophiæ Cathedræ Moderatorem sapientissimum egit. Supremi Senatus Ordinum decreto Regalis Uclesensis Conventus Visitatoris munus obire justus, id gessit strenuè, mox in Salmantino S. Spiritus, & S. Crucis Vallisoleta no Conventibus ejusdem militiae Commendatariorum bis eodem munere functus est. In Americam dimissus Antequerenfis Ecclesiæ, quæ Goaxacensem Cathedralis est, Decanus, tandiu ibi substitit egregiè probatis nomine, donec à Catholico Rege pro Episcopatu Novæ Cantabriæ Antistes destinatus, litterisque Apostolicis ritè institutus, atque Mexici consecratus, totum se pascentis ovibus in vastissima Diocesi christianis dedit. Lustravit illam quidem eximio zelo & labore pari, nec minus egentiam necessitatibus subvenire, quam salutem animarum curare studuit.

Inde Angelopolitanæ præfectus Ecclesiæ, nihilo dissimilis sibi, eidem exactissime incu-

buit muneribus, utrobique semet virtutis exemplar factis, nec verbis solum, omnibus exhibens. Multas per diem horas in Cathedrali sua orationi dabat flexis humi genibus. Familiam severiori institutam disciplinâ, Cleramque ac Populum in Numinis obsequia famularumque dirigebat. Nulla ornatum magnificentia Palatium ipsi etiam Religiosis edificationi & exemplo erat, Præsulque opibus abundans Ecclesiasticis, ne non illas omnes in pauperes erogaret & usus pios, sibi & domesticis subtrahebat, quas aliquanto largius in hisce poterat collocare. Suas in Libris, post sacra, delicias habebat, viceque omnium suppellectilium ipsi Bibliotheca erat, quam selectissimis voluminibus, accuratissimisque editionibus à gravioribus Criticis adornatas instruxerat. Sanctos Patres assiduè pervolutabat, atque scriptis ad marginem notis, usui suo aliquando futuris, insigniebat: nec de Ecclesiasticâ Disciplinâ & Historiâ agentes præteribat, quibus in regimine pro opportunitate uteretur. Scholares pro litteris imbibendis juvandi sollicitus, redditibus Beneficiorum, Capellania dicimus, ali constituit, quos ad fundatorum mentem eis consignatos voluit. Ut autem benè noverat, agendorum momentum intentionem placendi Deo esse, hanc unam præ oculis observabat, recti tenax & iusti, pius & misericors, atque in-

docendis familiariter è superiori loco fidelibus studiosissimus. Tandem egregie pastoralis defunctus officio, in æternam, ut speramus, quietem emigravit die 19 Mensis Julij anno 1737.

Extant editæ ejus Orationes duæ, altera cui titulum dedit

*Rarus è multis, S. Philippus Nerius Congregationis Oratorij Fundator.* Mexici, typis V. Francisci de Ribera Calderon 1731 in 4. Habetur in Collect. nostris tom. 1. Hanc dixit Orationem in Cathedrali sua Durangensi fovendi ergo in S. Philippum pietate, cui propagandæ studens Altare inibi erecraat Doctor D. Emmanuel Sebastianus Cano, ejus Vicarius Generalis, Amicus noster, quondamque Socius in Academiâ Mexicæ ejusdem Divi titulo celebrari.

Altera de S. Ignatio Loiolensi Societatis JESU Fundatore Angelopoli recitata in Collegio de Spiritu sancto ejusdem Familie, ibidem que excusa Collegij sumptibus, litteris Francisci Xaverij de Morales 1735 in quarto. Habetur tom. 69 Collect. nostræ. Præterea edidit.

*Ordinationes, Regulas, & Statuta servanda in Cathedrali Ecclesia Angelopolitana pro celebratione Missarum solennium & divini cultus augmento.* Angelopoli, litteris Francisci Xaverij de Morales ejusdem Ecclesiæ Typographi 1736 in quarto.

584 F. BENEDICTUS FER-

NANDEZ, Natione Hispanus, ad S. Stephani Salmanticensis Dominicanorum Collegium professor Ordinem Prædicatorum, latio, quo jam fuerat imbutus sermoni, Philosophiam adjunxit atque Theologiam, virtutes que non segniter à se cultas in seculo, ferventius longe excolendas in statu religioso suscepit, adè ut paupertate, obedientiâ, castitate, demissione, modestiâ, orationis studio, & cæteris animi dotibus doctrinæ haud vulgari sociatis, multi fieret à Religiosis viris. Tum verò comes datus V. F. Vincentio de las Casas, qui in Europam conquiriti Socios gratiâ dimissus fuerat à nuper erecta Sanjacobeâ Provincia, Mexici siltitur, indeque in Miltecam Goaxacensiu, emendicato victu & pedes secedens, gentis linguam imbibiturus, tanto eam successu calluit, ut non nullis afflante potius Numine quam labore suo & industria visus fuerit ipsam edoctus: nam ut testis est Chronographus doctissimus M. Burgoa infra citandus, qui Historiam suam 120 annis edidit postquam Noster Librum suum dialecto Miltecanâ publicaverat, tunc usque ne verbum quidem corrigendum in illo inventum est, nec phrasis ulla spongiæ digna, idiomate licet à multis quam diligentissime exculco, & abditissimis ejus recessibus exploratis; ut subinde qui addiscendæ Doctrinæ illi dant

dant operam, facile sermonis elegantia & proprietate alios inter Miltecæ loquentes secernantur emineantque. Inibi montium & confragorum Apostolicam duxit vitam Cœnobijs præfectus varijs atque Paræijs, Vicarius itidem Provincialis.

585 Porro asperrimæ vitæ tenore Apostolicum munus fuit auspatus, & ad postremum usque halitum constantissimè tenuit. Cibarijs contentus vilissimis, quæ pauperibus usui sunt Indis, ut ut ipsis tempore placeret & loco, inter eos versatus utebatur: sæpe noctes substars arborem stratus ducebat pallio involutus: sæpe, ubi Ades sacræ erant, in suppedaneo tabulis compacto & altari subjecto cubabat; ubi autem se in cellam recipiebat, geminis & impolitis tabulis usus pro lecto, coriaceo cervicali, ipsoque pallio pro superiori stragulo, quietem captabat. Sive autem in Conventibus esset, sive in montannis, sive cum Sodalibus ageret, sive solus, media semper nocte pro Ecclesiasticis matutinis precibus dicendis, alta quidem & composita voce, surgebat, queis incipiendis sæva diverberatione cruciabat se, iterumque, absolutis Dei laudibus, mitius nihilo flagellabat.

586 Tanto erat paupertatis amore, ut præter Breviarium & Sacra Biblia, aut Librum pium in cella pretij nihil haberet, nemensam aut sedem quidem, nam

scamno contentus, & pendulâ tabulâ, atque his quæ pro capiendi somno memoravimus, alijs supersedebatur cæteris. Lancis obsoletisque & laceris vestibus inducitur, quibus asperrima obtegebat edomandæ carni cilicia, & ferream, qua præcinctus erat, catenâ: atque his alijsque subsidijs, cautelâque in oculis, quos nunquam in femineos vultus intendit, virginitatem asseruit suam, custodivitque usque ad finem illèsam. Dei cultum egregiâ pietate promovit: orationi ferventissimè incubuit: ad aras devotissimè fecit, suasque in Jesu Christi Corpore sub Eucharistico sipario latente delicias collocavit & robur. Curas suas in Deum ejusque Religionem intenderat omnes; atque ut Indos Miltecanos plurimis superstitionibus deditos, & idolis addictissimos, ab hisce pestibus liberaret, Fideque & pietate institutos Deo asserret, difficillimum est dictu, quanto animo & spiritu laboraverit, vitæ suæ præsentissima nil metuens discrimina, à quibus Dei ope protectus, evasit indemnis. Arque ut hujus rei monumenta signemus, placet geminum indicare.

587 Ad Pâgum Achiutla dictum, sublimis erat ascensuque collis perarduus, scopulis & cauitibus fermè inivius, cujus ad verticem Fanum Indi à majoribus suis extractum suspiciebant, la-rensque positos in confinio Religiosos viros, idololatri clam ed-

scendentibus, nec absque fatigatione, patebat, ut, quem *Populi* cor idolum nuncupabant, obsecratis religione percolerent. Erat autem Smaragdus lapis, indici piperitidismagnitudine, hoc est crassus duos digitos, longitudine autem quatuor patens aut quinque, viridi colore pulcherrimus, intusque rutilanti lucerne similis: incisa in eo apprimè viscebatur avicula, circumque cœlatus serpebat coluber; & hoc tandem idolum *Cor delusi à caco-dæmone populi* vocabatur. Id ubi Noster relcivit, nil cunctatus, prærupta aggreditur, reptansque conscendere tentat, Indis ipsum sequentibus, quorum alij sacris nostris devoti, pietate in unum verum Deum agebantur, alij etiamnum diabolo mancipati, commites sese dederant, persuasi, testes se statim futuros infelicissimæ, quam ominabantur, sperabantque religiosissimi viri mortis. At enim ille, delubrum ingressus, undique fœdissima circum in loculis offendit idola, quibus & humano sanguine tinctis, & ab cremato thure fumosis, inde, ut par erat, in terram abjectis, & proculcatis comminutisque, respectui etiam dæmones incolentes ea ducens, perditissimos nebulones exagrabat, exprobrabatque invidiam suam veteratoribus hominum illis & impostoribus. Hæc intuentes, antehac decepti idolorum cultores, audientesque imper-

territum Sacerdotem nostrum facra eos christiana docentem, se ijs dederè captarunt, & abditum etiamnum princeps idolum *Cor populi*, affabrè elaboratis involutum telis ultrò ad eum detulerunt. Tam raræ magnitudinis Smaragdum homines Hispani stupere, tantique fecerunt, ut termille argenteos unciales præclarus ac dives ex eis libens offerret illi coemendo, quod Noster precium repulit, Dei gloriam, atque Indorum documenta gazis & thesauris præponens. Inducto, ut sit, christiano ritu solennissimo festo, concurrenteque è plurimis Oppidis confertissimâ multitudine, non absque conatu multo & labore, conquistisque pro conterendo lapide præduris malleis & instrumentis, preciosissimum longè Smaragdum ita comminuit, uti in particulas redegerit minutissimas, pulverique immixtum susstraverit, despicatur, que habendum docuerit concione ferventissimâ, qua insimul unum omnium conditorem rerum D. O. M. appositisimè declaravit, cui soli litandum esse, idque genus alia sacra pro audientium capto dixit, nec absque successu, mirantibus Indis hominem Dei, cujus deinceps monitis tenacius firmissique adhærere.

588 Alterum jam egregia fortitudinis monumentum & præferendi zeli, quo Noster æstuabat, afferamus oportet. Pererrabat ille inquirendorum, quos doce-

ret, gentilium gratiâ, clara asperimaque Misteconorum juga, ubi ea petens, quæ Chalcatongo (barbarum nomen) audiunt, accepit esse, longè sejunctum, & omnium Regionis fastigium editissimum, quod Panthconem gentis dixeris, nefandis sacris & spurcissimæ religioni devotum, immane videlicet spelæum, cimmerias inter tenebras consepultum, Mystis duntaxat pervium, cæteris interdictum ad januam accedentibus & stantibus. Aditū illud esse in Elisyos campos credebant, in quos à morte corporum deducendos animos sperabant, olim que etiam rediviva corpora deum trahenda, ut subinde Reges & Toparchæ eò post funus inferri anastasi prætolati curarent. Noster, superatis in itinere arduis supra modum scabris, uno Crucis signo obarmatus, flocci ducens barbaros juxta ac dæmones, in id antrum, comitantibus infidelibus Indis, opperientibus que capitale audacissimi, ut credebant, viri supplicium, contendit, donec proximè accedens, & ab ornato frondibus ac floribus vestibulo Fanum dignoscens, impavidus, JESU & MARIÆ invocato nomine, se in recessus illos & subterranea loca conjecit. Indorum nullo comite, omnibus que foris tristissimum optantibus hominis casum & sperantibus. Ille mutuato à fenestellis quibusdam lumine, circum adspectare lapideos cepit tumulos pluri-

mos, atque aggesta corporibus corpora, de more gentis, singula convestita, auro, lapillis, idque genus alijs ornata putidissima que. Adhæc, in conclave intus progrediens, innumera ad loculos redacta, atque ut figuris sic etiam artificio & materiâ diversa, tum sculpta, tum picta circumspexit idola. Potro dijs emortuis illis susque deque laris atque profundatis, pluribusque contritis, nec mitius graveolentibus cadaveribus pertractatis, & dæmonibus in malam Crucem abire jussis, dirisque devotis, ovens tandem exersit, non sine egregio Indorum, qui aderant, stupore, quique ab audito nuper intus Fani rumore & strepitu evententis efflata numina, hæc ipsa in illum exarsisse fulminasseque, ut fuerant ominati, credebant. Ut tamen secretiora ipse Indis pignora secum detulit, palam & coram proculcaturus, abjecit illa demum, contemptui que habenda illos edocuit terribili coercitos & longo sermone de æternis in dæmones ignibus eorumque sectatoribus, cui adjecit multa concioni de Crucis virtute, cæterisque Christianæ Religionis mysterijs, tantâ quidem energiâ, ut illos ipsos idolorum cultores permoverit, uti suis ipse manibus rogam accenderint, in quem unâ cum simulacris putrida Procerum suorum corpora conjecere.

589 Ex inde sacris nostris ad-

dicti serio, Benedictum ceu Patrem & Magistrum audientes, Deo uni inleuvire, & proprie salutis consulere decreverunt. Sanè, tot eos Noster beneficijs sibi devinxit, ut quos olim, prædicandi munus auspiciaturus, adversarios habuerat vitæque insidiatores: charissimos expertus postea filios fuerit, ejusque vitæ & incolumitatis cupidos ac sollicitos. Quod enim contineri finibus suis haud posset, in Portus Zurij maris excurrentem docendi ergo gentes curis licet suis non mandatas, paralyti tactum, quibus poterant pharmacis juvare satagebant, questibusque & gemitibus Deum pro ejus salute rogabant. Ubi verò morbus tandem invaluit, ipse totius vitæ Confessionem instituit, quam religiosissime duxerat; Eucharistiâ præmunivit se in Viaticum sumptâ, sacroque inunctus Oleo, Crucifixi Jesu disuaviatus Imagine, ad illa verba *In manus tuas commendo spiritum meum*, obiit in Domino, atque ut promiserat Indis sibi percharis de Achiuria dictis, ibidem Oppidi sepultus fuit, nimium illis de amisso Parente dolentibus, cujus etiamnum memoria penes gentes illas in benedictione est, corpusque, Cœnobio & Templo excitatis à fundamentis, in sepulchrum pro Religiosis conditum, fuit translatum, quantaque per Ecclesiæ decreta licet veneratione habetur, eo apud Deum precatore utentibus populis illuc

devotionis ergo accedentibus; etiam post 178 annos ab ejus funere. Scripsit & edidit idioma Mexicano

*Doctrinam Christianam explicatis præcipuis Fidei nostræ Mysterijs, exordio ducto à primâ mundi conditione, Incarnatione Divini Verbi, Vitâ, Passione, Morte, & Resurrectione Christi Domini: Orationibus inidem Ecclesiasticis: Virtute Sacramentorum & efficacîâ, ipsorumque usu: Adjectis pijs in Deum Deiparentemque precationibus.* Mexici, ex Typographia Petri de Ocharte 1568 in quarto. Alteram Mexicam itidem editionem de 1550, in quarto, memorant Scriptores Ord. Præd. tom. 2 pag. 136, quam videre nobis non licuit, sicut nec aliam de 1564, etiam in quarto, cujus meminit Pinelus in Epit. Bibliot. Occident. col. 726, penes quem habetur Benedictum nostrum Scripsisse item

*Epistolarum & Evangeliorum totius anni in Miscellanam Linguam versionem*, cujus in præsentiarum ulus esse haud poterit, interdictis Librorum Sacrorum in vulgaria idiomata translationibus.

Nostri Vitam omnibus abundantius scripsit M. F. Franciscus de Burgoa Dominicanus Goaxacensis tom. 1. part. 2. Geographica descriptionis, seu Chronicorum Provinciae suæ à fol. 154 col. 3 ad usque 164 capp. 28 & 29. Illius Davila Padilla, in Hist. Prov. Mexicanae lib. 2 cap. 37. Eiusque meminere Scriptores

in quarto, quam inter Codices nostros habemus.

591 P. BENEDICTUS RINALDINI, Natione Venetus, Patria Brixienfis, Domicilio Mexicanus, Societatem JESU amplexatus, conversionis Indorum, qui etiamnum in vastissimis Americae nostrae regionibus quotidianis incrementis aggregantur Ecclesiae, & christianis proficiunt institutionibus, Missiones longè distans expetivit colendas, quibus strenuam dedit operam, egregio labore parique Dei gloriam augendi zelo. In hunc collimavit scopum quam edidit

*Ariem pro Thepehuana lingua addiscenda.* Mexici, typis V. Josephi Bernardi de Hogal 1745 in quarto.

592 F. BENEDICTUS DE VILLA CAÑAS, Natione Mexicanus, cujus in obscuro nobis est Patria, obscurus ipse minimè, Patriæ, quæ sit ipsa cumque, splendorem dedit egregium, in simulque Dominicanorum Provinciae de Chiapa & Goatemala, cujus alumnus extitit. Ad exactam Instituti sui & Constitutionum observantiam eximium Indorum salutis zelum adjuvit, pro quibus juvandis multos invictâ patientiâ exantlavit labores, cum in Provinciae Zacapulensi, tum etiam in Goatemalensi. Nec instituendis in fide & pietate duntaxat auxilio fuit, Dei cultum in Templo & Sacellis adaugens, sacris vestibus, Musicis viris, & id genus inten-

rus, sed etiam politicis & rusticis rebus ut efformaret incultos homines diu adlaboravit. Insignem pro trajiciendo flumine Zacapulae pontem construxit oppidum necessarium. Pro serendo, colendo, & metendo frumento Magistrum egit. Et his quidem ipse uberrimam sibi meritorum paravit segetem multorum annorum curis, donec plenus dierum, superplenam & affluentissimam, ut credimus, accepturus mensuram in caelum evolavit e Cœnobio Goatemalensi anno 1609. Scripsit

*Artem pro imbibenda Lingua Kachiquelensi.*

*Dictionarium ejusdem Linguae.*

*Succesum Fidei Orthodoxa, seu eodem idioma de Unius Trinitate Dei, qui quondam Messiam Patriarchis promiserat, missique in Mundum: de Incarnatione divini Verbi, Apostolorum predicatione, Spiritus sancti in ipsos adventu, ipsorumque per universum transmigracione.*

*Librum Sermones breves de Sanctis & de tempore complectentem.*

*Librum de miraculis Deiparentis Virginis & Sanctorum.*

Et de his quidem Libris & Authore agunt Remesius in Historia dictae Provinciae libro 11 cap. 27. n. 5. pag. 744. & Scriptores Ordinis Praedicatorum tom. 2. pag. 367. col. 2. ad annum 1609. Pinelus in Epitome Bibliothecae Occidentalis col. 722. Nos vero Catalogum sequenti e Goatemalensi Provincia nobiscum

communicatum, alia dictis Opera annectimus.

*Vitam S. Catharinae Senensis.*

*Meditationes & Orationes de Christi Domini Passione.*

*Vitam V. Franciscæ à S. Dominico Fundatricis Collegij seminarum Indarum.*

Opera isthæc, supraque memorata, majorem partem penes Sodales esse, aliqua autem aethographa in tabulario Goatemalensis Cœnobij primarij custodiri, ab indicata ipsorum narratione habemus acceptum.

† 593 D. BERNARDINUS DE AGUILERA, Natione Mexicanus & Patria, Doctoratus in Jure lauream insignitus, & apud Regium Senatuum Causarum Patronus, edidit vulgari sermone

*Allegationem juris ergo tuendi in negotio civili Equitis opibus juxta & pietate clarissimi D. Stephani de Molina Mosqueira.* Mexici, tacitis Typographi nomine & anno editionis. Extat in folio tom 26 Collectionis Mendoziana.

† 594 F. BERNARDINUS ALVAREZ, Natione Hispanus, Patria Hispalensis (Quamvis in Utrera natum aliqui scripserint equivocum passi ab genitoris natali solo) Domicilio Mexicanus, à virtutibus egregijs insignis, Ordinis Religiosorum Sancti Hyppoliti à Charitate Institutor & Parens fuit. Genitoribus nobili stirpe & christiana virtute conspicuis usus, Ludovico Alvarez & Anna de Herrera conjugio

gio sociatis, catechismo & salutaribus monitis ac primis litterarum rudimentis instructus, latinis etiam operam dedit. Vigesimo quatis anno, nominis glorie inhians atque divitijs, Orbem novum cogitavit, & militum albo conscriptus Mexicum petijt. Quod vero principem Americae nostrae Urbem pace & delicijs florentissimam, bellicis importunam cogitationibus & congressibus cerneret, Zacatecanos versus iter instituit, penes quos & finitimos adversas Chichimecas, barbaram & indomitam gentem, Martem dicens commigrasse. Ubi genio indulserat militari, Mexicum remeavit, seque juvenibus socium liberioribus dedit & audacioribus, ut propterea lusorias publicè chartas terere, crepare duella, lascivireque pergeret Reipublicae scandalo, cujus tubinde Rectorum jussu in vincula ipse cum eoque juvenes duodecim missi fuerint, inde in Philippinas Insulas deportandi. Perfracto carcere, sese omnes e vinculis propripicere, in quæ tamen rursus tres eorum detrosi, suspensio demum multati periere. Noster interea latens, presentissimo se ut subduceret vitæ discrimini, in Peruvium clam, nautis mixtus militibus eò tendentibus, proaram direxit, Limamque Regiam Urbem appulsus, atque inde digressus, sexennio ad Cuscum pristinam militis professionem novavit & tenuit, lucrandæ ita pecu-

niæ inrentus, ut innoxie supra 30 millia argentea uncialia quaesierit, dataque sibi à Deo, Deo ipsi reddenda, ad se reversus plenis dicere buccis consueverit.

595 E Meridionali in nostram Americam redux, Mexici constitit, per ætatem & mores sibi ita dissimilis, ut nullam præteritæ vitæ hominisque perditifuspicionem aut timuerit aut moverit. Pius in matrem, eo tempore viduam, Hispalique degentem, mille argenteis octo regalibus Epistolam junxit, qua ipsam rogabat, vellet Mexicum adire, ut ceteris, quibus ipse divitijs potiebatur, ipsa in primis pro suo victu commodisque frueretur. Nihil tamen sollicitationibus & precibus addicta jam pridem Deo foemina, mota, rescriptis, satis sibi aris esse pro vitæ subsidijs, opes illum à Deo acceptas in Dei collocaret obsequijs, seque in ejusdem Numinis dederet famulatum. Hæc ut ille monita legit, eis obtemperandum, Deo ipsum ad magna prævieniente, constituit, atque totius vitæ exomologesi instituta, sevit in se flagellis, cilicijs, jejunijs, ceteraque maceratione carnis incæpit: argentibus eleemosynas erogabat, & agrotantibus ut serviret, in hospitem Domum non dudum inclyti Ferdinandi Cortezij nomine sumptibusque conditam, se recepit. Inibi, Amicis, honesta licet consuetudine sibi junctis, valere jussit, abjectaque

indurus veste, diu ac noctu infirmis egrégia patientiâ, humilitate, charitateque ad decennium est famulatus, quorum usui adificatas aedes, industriâ suâ & operâ ampliavit.

596 Quod verò ea tempestate, non dum semiseculo expleto ab expugnata conditâque Mexico, præter Valetudinariû, quod mox memoravimus, à Concepta Virgine dictum, unum esset à V. Illmò Archiepiscopo D. F. Joanne de Zumarraga erectum pro ijs qui morbo Gallico laborarent; alterum Regijs sumptibus pro Indis constructum; egrori autem multis alijs vexacti languoribus, innumeri penè essent in amplissimâ Civitate, illicque miserimi, omnibus ut confuleret, qua erat insigni misericordiâ, Bernardinus Generale Xenodochium aggressus est anno 1567 facultatibus obtentis cum ab Illmò D. F. Alphonso de Montufar, qui proximè Archiepiscopo primo successerat, tum etiam à Mexiceo Pro-Rege D. Martino Enriquez, annuentibus postmodum & Comite de la Corona & Auditorio Regio ejus in regimine successoris. Ut erant Bernardini conatus in pauperes & infirmos omnes intenti, Aedibus opus habuit amplissimis, quas in suburbio molitus est amœnissimo juxta & civibus proximiori, continentesque Aediculâ factâ à S. Hippolyto Martyre dictâ, quam Mexicea pietas Patrono suo fa-

ventissimo crexerat, ceu publicum gratitudinis signum, quod devota Divo isti socioque Casiano die anno 1521 capta demum Mexicus fuerit, christianumque palam explicatum in ea Crucis vexillum, Hoc nostro suisque, quos brevi habuit, Sodalibus in usus sacros Sacellum concessum fuit, ipso pecunias suas, & quas accepit multas ab pijs, in hospitalis Domus fabricam conferente, in quem protinus locum magno pauperes & ægrotos numero traxit: nam dimissos nuper è Valetudinarijs alijs, à morbo recreandos invitabat & reficiendis: & mentecaptis suos opportunè cubiculos destinaverat: & senio confectis inibi traductis auxilio erat, simulque scholaribus & Præceptoribus indigentibus: & alijs languentibus medebatur.

597 Adhæc plura alia condidit Nosocomia varijs in Novâ Hispaniâ locis & Urbibus, nempe in Oppido de Oaxtepec à S. Cruce nuncupatum erexit, eo etiam famosum nomine, quod ibi novennium posuerit V. Gregorius Lupezius, Vir ab heremiticâ vitâ egregiâque sanctitate notissimus, quem Noster lubens hospitio excepit & aluit: In Portu Veræ-Crucis Americæ nostræ primario Aedes condidit hospitalis pro his fovendis qui hispanis classibus ad nos deducti naufragium in portu verentur, nec semel patiuntur, vel ægestate vel morbo correpti, quibus refectis

&amp;

& curatis, ut Mexicum adirent, mandram centum instructam mulis paratis ad iter agendum, cibos & pecunias ductoresque è Sodalibus suis præsto esse volebat, Mexicumque ingressis ad S. Hippolyti, adesse omnibus officijs pergebat. Per Zurium autem mare navigantes & Acapulcum appulsos similiter conficiatos recreaturus, Nosocomium eo in Portu condidit, Socijs item eo dimissis, quibus nautarum vectorumque cura esset. In deserto dicto Petote inchoatum Valetudinarium operâ Illmi Viri primi que Tlascalsensium Episcopi D. F. Juliani Garcez Dominicani, qui è vivis excefferat, Bernardinus accepit & auxit. Non longissime distitum ad pagum de Xalapa aliud instruit, jis in primis commodius, qui recens ex Hispania devenerant, atque ab insalubri Veræ-Crucis temperie illuc convehbantur. Inde, ut iterum quiescere & sedere, ceu in proprijs Aedibus possent, Angélopopolitanum Xenodochium condidit curavit, nec pro illis tantum, sed pro cæteris etiam aut ex morbo recreandis aut etiam mendedis. His quæ in Nova Hispania pijs crexerat domibus, aliam apud Insulam Habanensem adjecit, queis Sodales sui & Instituti hæredes alias alibi opportunè aggregarunt, Goatemalensem, Queretarenses, & Mexicancensem à Spiritu sancto dictam, forsânque alias calamum in præsen-

tiâ subterfugientes. Nam Authore Bernardino instituta Sodalitas fuit Hospitalitatis, Reipublicæ commodis utilissima, cum alijs nominibus, hoc potissimum, quod amentium curas receperit, inque Aedes S. Hippolyti helleboro egerentes traduxerit: cui instituto Laici multi, Clerici etiam & Præbyteri nomen dedere, quorum Vitas plurimum unâ cum Actis Nostri scripsit & edidit Illmûs D. Arze infra laudandus. Atque Sodalitium Summis Pontificibus Gregorio XIII, Sixto V, Clementi VIII, Paulo V, acceptum probatumque fuit, & præscripta à Bernardino Regulæ ac Constitutiones, paucis mutatis, Apostolicis litteris confirmata: tandemque ab Innocencio XII pijsima Charitatis Congregatio in Ordinem Religiosum Apostolicâ Authoritate constituta est, tribus solennibus & cæteris Religiosis communibus votis adjuncto quarto de Hospitalitate, recentâque nuncupatione de Charitate ad S. Hippolytum.

598 Porro egregij Fundator Instituti pro virtutibus excolendis in Dei gloriam proximorumque salutem, eximijs ipsis christianis dotibus fuit ornatus. Paupertatis amator suis se expoliavit omnibus in pauperum commoda destinatis, votoque paupertatis se religavit. Humilitati autem ita se addixit, ut nihili se faceret, inter operas, ceu eorum unus, pro adificandis pauperum Aedibus

N2

sc

se immiseret & laboraret, atque alijs abjectissimis dederet ministris, eisque volens lubens ad extremum usque vitæ incuberit. Obedientiâ conspicuus, patientiâ, castitate, penitentiâ, oratione, cæterisque ejusmodi cfulsit. Adversus Purissimam Virginem Deiparentem eximio erat amore, cui propterea famulari in delicijs habebat, Nosocomiumque non unum sub ejusdem clientela constituit & nomine. Fidem autem, Spem, Charitatemque heroicis plane exercitationibus tenuit. Nullos pro Nosocomijs suis perpetuos voluit reditus aut Patronum hominem, uno contentus, cui se & sua crederet, homine juxta que Deo, cuius Imaginem ad Cœnobij januam collocavit subscripto epigraphæ: *Ecce homo: Dominus providebit.* Nec frustratus spe, largissima à fidelibus & opportuna, etiam non quæsitâ, accepit in pauperes alendos & curandos subsidia, quos tanto sæpe numero recreare prandio cœnâque consueverat, ut quadringentas quotidie portiones eis distribueret, ære campano meridie vespereque vocatis ijs etiam qui suas extra Valetudinarium sedes habebant, egestateque afflictabantur: eis præterea qui erubescerent mendicare, clam subveniebat, nullum que mæstum ab ædibus suis abire sinebat, Deo nonnunquam miraculo charitatem ejus & fiduciam juvante.

599 Nimirum, paupercula

ipsum vidua convenerat postulandi gratiâ pro suo victu farinam, cui succurrere integro faceo Sodali injunxit horrei curam habentis, hic verò reposuit statim, granarium penitus esse vacuum, pauloque ante ita scopis eversum, ut ne pulvis quidem inibi farinaceus remanserit. Nihil tamen minus illo insistente ut pergeret, imperataque faceret, mulierem secum deduxit farina custos, suis ut ipsa oculis inane cubiculum cerneret. At enim, ubi januam aperuit, exundare farina cepit, tantâque effluere copiâ, ut ipsum obrueret. Quod autem Bernardini primas curas animarum salus teneret, ijs potissimum juvandis intentus, & Sacerdotes, qui se illi junxerant Instituto, egrotantibus in supremo agone auxilio esse curabat, & Præceptores rudimentis litterarum & Catechismo pueros instituere, & id genus alia satagebat, nullumque ferme ea tempestate Mexici fuit opus illustre Dei gloriam concernens, in quod suum ipse symbolum non posuerit.

600 His profectò charus Deo nominibus, eo ut æternum fuere acuto vocatus morbo, à primarijs Medicis jussus est Sacramenta suscipere exitum illi post tres horas proximum ominantibus. Ipse tamen superno, ut videtur, afflatus lumine, secus existimaret, nec nisi decima inde moriturum se die resciret, ac suis

suis exponeret, nil moratus, sacræ expiatus Confessione, Eucharistia que in Viaticum, qua solebat frequenter pietate, susceptâ, & extremo unctus Oleo ad mortem comparavit se, quam lætus aspexit pomeridiano tempore die 12 Augusti anno 1584 ætatis 70. Lætus quidem ipse diem supremam aspexit, etusque in gaudia Mexici cives, cætera de amisso charissimo omnibus Bernardino mæstissimi, funus ejus sunt profecuti. Quod enim Ades suas hospiales maximas à S. Hippolyti Martyris & Patroni Mexici Templum constuxerit, in quod ea ipsa die & sequenti quotannis universa Civitas confluit, inflaurandi ergo anniversariâ memoriâ triumphî, si quis ullus fuit pro Catholica Fide & Hispano nomine, Inclyti & celeberrimi jam inde ab anno 1521 de Potentissimo Mexicanensium Imperio relati 13 Augusti: Hanc obrem paucis à Noltri obitu horis illuc vespertinis precibus sollemnissimè decantandis ut adsent, præclari qui que Republicæ viri convenere. Renovatâ, ut fit, sequenti die pompâ, quæ admodum gravis & festiva est, Auditorium Regium, Mexici Rectores & Nobilissimi Equites, incredibili popularium stipant frequentiâ, iterum inibi sistantur unâ cum Religiosorum Ordinum Sodalibus multis, Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicis, & Illmo. D. D. Petro Moya de Contreras, id tem-

poris Regni Visitatore, post Archiepiscopo Mexicano & Pro-Rege, Ecclesiastico ritu festum acturis, mox vero Bernardini corpus elaturis. Dixit è superiori loco Ecclesiastes ea ætate Mexici primus, M. F. Joannes Adrianus Ordinis S. Augustini Provincialis, in Academiâ Mexicanensi Primarius Sacrorum Bibliorum, Interpreter, & qua erat pietate ac eruditione, ita SS. Martyrum decora Bernardini laudibus innexuit, ut Beatorum ipsorum Edibus, sacris Hospitales ille suas junxerat, quo cum nomine & insignium virtutum opportunè ad merita & tempus Orator disertissimus extulit. Exulere demortui corpus, absolutis sacris Mysterijs, gravissimi, qui aderant, viri è Capitulo Ecclesiæ, Auditorio Regio, Senatu Mexico, & religiosis Catibus, & prope aram maximam collocarunt. Certe, vivens Bernardinus & mortuus Pro-Regibus, Archiepiscopis, & præclaris quibusque hominibus præceptus, infamis etiam, quorum curam gesserat indefesse, percharus, à cunctisque ceu Sanctus est habitus, quem totos 40. annos eximium virtutum exemplar suspexerat. Scripsit hispano sermone

*Regulas & Constitutiones pro Sodalibus Ordinis Charitatis ad S. Hippolytum.*

Quas Apostolicis litteris communitas supra diximus traditis ab Illmo. D. D. Joanne Diaz de Ar-